



SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS


# QUATENUS PLUTARCHUS
# IN REBUS CICERONIS ENARRANDIS
# EIUS SCRIPTIS USUS SIT.

---

DISPUTAVIT VINCENTIUS D' ADDOZIO.




NEAPOLI,
EXCUDEBANT A. TESSITORE ET FILIUS,
ACADEMIAE PONTANIANAE TYPOGRAPHI,
MDCCCCIV.






Ex Actis Academiae Pontanianae.

HENRICO COCCHIA

VIRO DOCTISSIMO

HUNC LIBELLUM

GRATI ANIMI

TESTIFICANDI CAUSA

D.

VINCENTIUS D' ADDOZIO

# QUATENUS PLUTARCHUS IN REBUS CICERONIS
## ENARRANDIS EIUS SCRIPTIS USUS SIT.

**DISPUTAVIT VINCENTIUS D' ADDOZIO.**

Nescio an nullum veterum scriptorum opus tantam vim habeat ad hominum mores formandos quantam vitae Plutarchi inter se comparatae; quas qui legat ita praeclarorum facinorum admiratione et vitiorum flagitiorumque odio incenditur, ut ex illa lectione melior sibi evasisse videatur. Quamobrem semper in deliciis habitae sunt ab omnibus qui cognitionem rerum salubrem et frugiferam expetiverunt. Neque aliud, si nonnulla animadvertimus quae passim in vitis scripta sunt, Plutarchus sibi ipse proposuit, quam ut morum probitatem cum suorum civium tum Romanorum per exempla promoveret 1). Ponebat enim summum bonum in virtute, qua nihil formosius, nihil praestantius, nihil homini utilius, nihil quod cum natura humana magis cohaereret iudicabat 2); tantam autem vim esse virtutis, ut ea spectata homines ad imitationem excitaret, maximeque adamaretur, si cum vitiis comparationem haberet 3). Sed vehementer fallatur, si quis in illis vitis quae-

1) In primis digna sunt quae attente legantur verba vitis praemissa Periclis et Fabii Maximi, unde clarissime apparet, quid auctor spectaverit. Cfr. etiam quae scribit initio vitae Demetrii.

2) Cfr. *Pericl.* 2.

3) Ibid. ἡ ἀρετὴ ταῖς πράξεσι εὐθὺς οὕτω διατίθησιν, ὥστε ἅμα θαυμάζεσθαι τὰ ἔργα

rat incorruptam rerum gestarum fidem virorumque indolem ad historiae veritatem expressam. Plutarchus enim saepe a veritate deflectit atque in errores delabitur, non sua quidem voluntate, cum fuerit natura bonus verique amantissimus, sed nimia festinatione, oblivione, et maxime quod scriptores sibi delegit duces non satis idoneos. Neque ab eo postulamus, quod nunc a rerum scriptoribus requirunt, studium accuratissimum omnium, quae ad verum indagandum conducant; moleste tamen ferimus, eum nonnullos gravissimos auctores, quos facile adhibere posset, neque in suum usum convertisse, neque saltem inspexisse, ut fugeret errores. Quominus autem libros omnes, qui ad rem facerent, legeret diligenter, ignorantia sermonis Latini saepe impediit, quem sero tantum didicit, ut ipse fatetur 1), neque fortasse unquam penitus cognovit. Sed, qua ratione suos auctores delegerit resque noscendas excerpserit, e nulla scriptione clarius conspicitur quam e Ciceronis vita. Nam de Cicerone etiam nunc legimus non modo quae memoriae prodiderunt rerum scriptores iidemque haud pauci, sed quae ipse Tullius tradidit. Hic enim tam libenter et tam crebro de se loquitur, ut, locis excerptis ex eius libris, vita satis ampla et accurata conscribi potuerit 2). Non est igitur alienum, ad Plutarchi diligentiam recte aestimandam, exquirere, quaenam scripta Tulliana ipse evolverit, et qua industria iudicioque in eis legendis usus sit.

Quo tempore vitas composuerit, non est facile definire; ne illud quidem exploratum est, easne Romae litteris mandare ingressus sit. Probabili autem coniectura ducor ad suspicandum, extremis annis imperii Domitiani Plutarchum urbem reliquisse et Chae-

καὶ ζηλοῦσθαι τοὺς εἰργασμένους. Cfr. Kremer, *Inquisitio in consilium et modum quo Plut. scripsit vitas parallelas*, Groningae, 1841, p. 10; Westermann, *De Plutarchi vita et scriptis*, p. 8.

1) Vit. *Demosth.* 2: ἐν Ῥώμῃ καὶ ταῖς περὶ τὴν Ἰταλίαν διατριβαῖς οὐ σχολῆς οὔσης γυμνάζεσθαι περὶ τὴν Ῥωμαικὴν διάλεκτον ὑπό χρειῶν πολιτικῶν καὶ τῶν διὰ φιλοσοφίαν πλησιαζόντων, ὀψέ ποτε καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας ἠρξάμεθα Ῥωμαικοῖς γράμμασιν ἐντυγχάνειν.

2) Omnium in manibus est liber utilissimus, inscriptus 'M. T. Ciceronis commentarii rerum suarum', quem ex locis Tullianis incredibili patientia studioque contexuit D. Suringar, Leidae, 1854.

roneam se recepisse 1). Sed proxime ad verum accedit, Romae saltem cogitasse res clarorum virorum memoriae prodere atque scriptores evolvere coepisse, unde quae usui essent petere liceret. Ac primum quidem de Romanis scripsisse, initio ducto ab iis qui liberae rei publicae extremo tempore fuissent, postea Graecos adiecisse cum illis comparandos; atque regressum per gradus ad Romulum et Theseum, nempe ad fabulosas origines utriusque populi, pervenisse. Demosthenis autem et Ciceronis vitae non est dubium quin librum quintum constituerint 2), et ante hunc tantum vitae conscriptae sint Sertorii et Eumenis, Cimonis et Luculli, Lysandri et Sullae et duae quae nunc desiderantur 3). Atque eo tempore, quo de Demosthene ac Cicerone scribebat, iam litteras Latinas attigerat, sed ita tamen, ut non tam ex vocabulis res cognosceret, quam ex rebus, quarum quodammodo notiones haberet usu comparatas, verba ipsa addisceret 4). Hinc fiebat, ut faciles brevesque libros peteret, ex quibus materiam narrationum suarum hauriret, et quae posset ex libris Graece conscriptis sumere mallet. Ipse autem, in Demosthenis historiam ingressus, queritur, quod res gestas perscribere coactus sit parva in urbe, quae cum aliis subsidiis tum magna librorum copia careret 5). Quae cum ita sint, quis pro certo putet, Plutarchum opera, quae Cicero exaravisset, omnia in sua bibliotheca Chaeroneae asservasse, ut ea quae vellet evolvere vel consulere posset?

Initio scriptionis, de qua disputamus, explicationem reperimus, ingenuam illam quidem, de origine cognominis Ciceronis. Hoc cognomen, inquit, qui primus sumpsit inde accepisse videtur, quod in

1) Post hoc tempus in Graecia semper mansisse videtur litteris abditus plurimosque libros historiae et philosophiae conscripsit. Cfr. Volkmann, *Leben und Schriften des Plutarch*, p. 64 et seq.

2) *Demosth.*, 3.

3) Cfr. Michaelis, *De ordine vitarum parallelarum Plutarchi*, Berolini, 1875, p. 20. Aliter censuerat Lion, *Commentatio de ordine quo Plutarchus vitas scripserit*, Gottingae, 1837, p. 15.

4) *Demosth.* 2.

5) Ibid.

extremo naso fissuram, qualem in cicere cernimus, haberet 1). De hac re nihil Cicero; neque unquam significat, quod nonnulli, teste Plutarcho, aiebant, suum genus ex Attio Tullo, Volscorum rege, repetendum esse; immo vero, cum per iocum fingeret genus, alia prodidit in Bruto 2). De studiis pueritiae haud multa a Plutarcho narrantur: sed tantum ex eo colligimus, quod sciam, a Cicerone adulescente conditum esse Graecum carmen, quod esset inscriptum Πόντιος Γλαῦκος. Alia, quae prodidit memoriae, ipsius Ciceronis testimonio confirmantur, eum audivisse Philonem philosophum et Mucium Scaevolam et bello Marsico sub Sulla duce stipendia meruisse. Sed in his non est cur diutius immoremur, cum nihil hinc efficiatur ad id quod nobis proposuimus.

Primam causam publicam, quam Cicero egit, pro Sex. Roscio Amerino Plutarchus paucis verbis attingit, neque tam accurate, ut se orationem Tullianam legisse atque in suum usum convertisse ostendat. Namque de Erucio, qui impulsu Chrysogoni parricidii reum fecerit Roscium, non inicit mentionem, neque bona Sex. Roscii patris tanti, quanti Cicero, aestimat. Primum enim scribit: Χρυσόγονος οὐσίαν ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν, quae sunt nostrorum nummum fere duo millia; et post paulo addit: Ῥώσκιος ὁ υἱὸς καὶ κληρονόμος τοῦ τεθνηκότος τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἀξίαν, quae nostrorum nummum sunt decies centena millia trecenta septuaginta quinque millia (L. 1375000). Cicero ait: « bona patris huiusce Sex. Roscii, quae sunt sexagiens (h. e. centena millia sestertium = nostrorum n. 1200000), quae de viro clarissimo et fortissimo L. Sulla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum (=L. 400) sese dicit emisse adulescens vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis, L. Cornelius Chrysogonus » (§ 6). Hinc efficitur, aestimationem bonorum Roscii, quam reperimus in Plutarcho, non ex oratione Tulliana manasse.

1) Cfr. Priscian. II, 5, 24. Plinius, *H. N.* XVIII, 3, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum cognomina inde esse ducta existimavit, quod earum familiarum quaeque aliquod leguminum genus optime sevisset.

2) Cfr. § 62. Sed commemorant regiam Tullii progeniem et Eusebius in Chronicis et Silius Italicus splendidis sane versibus VIII, 406 et seqq.

Fuse autem exponuntur Ciceronis facta quae causam Roscianam subsecuta sunt. Ac profecto narrationem itinerum studiorumque, in quibus ille versatus esset eo tempore, cum leviter animadvertissem, ex Bruto Tulliano fluxisse existimavi, atque adeo nonnulla ad verbum expressa. Sed, ubi paulo attentius locos utriusque scriptoris contuli atque expendi, de hac derivatione dubitare coepi. Narrat enim Plutarchus, quemadmodum etiam scriptum videmus in Bruto (§ 313), gracilitatem infirmitatemque corporis tum fuisse in Cicerone; valde ab eo discrepat atque in manifestum errorem labitur, cum profectionis causam fuisse tradat Sullae metum, cuius ille Roscio defendendo indignationem movisset. Constat e Bruto (§ 314), Ciceronem post causam Roscianam alias multas dixisse et duobus post annis Roma profectum esse. Plutarchus autem silentio praeterit, eum in dicendo apud Demetrium Syrum se exercuisse; et cum dicendi magistros commemoret, quos ille audierit, non eundem, quem videmus in Bruto, ordinem sequitur; Menippi laudes praetermittit, Apollonium appellat Molonis filium, in mirum errorem lapsus; aliis magistris addit Posidonium, cuius nomen deest in Bruto; denique narratiunculam exponit de Cicerone Graece declamante apud Apollonium, quam non ex aliquo scripto Tulliano, sed e rhetorum officinis fluxisse admodum est verisimile. Quas discrepantias ut explicemus, in duplicem coniecturam incidimus, aut Plutarchum Ciceronis narrationem in compendium redegisse, rebus adiectis ex alio fonte petitis, aut quodam scriptore usum esse, qui res Tullianas exposuisset aliqua ex parte commutatas et auctas. Sed illam opinionem qui sequatur vix expediet, cur narrationem Tullianam Plutarchus mutaverit, et qua causa in errorem raptus sit. Altera probabilior etiam idcirco putanda est, quod Plutarchus de Ciceronis recepta sanitate loquitur prius quam de itinere in Asiam, cum in Bruto ante de itinere, post de corpore firmato viribusque refectis exponatur. Ac rerum dispositio, quam videmus in Bruto, cur variata sit in vita, non facile intellegemus, nisi coniecerimus, apud alium scriptorem res eo ordine expositas esse, quem Plutarchus sequi maluerit.

Cicero nusquam, nisi fallor, tradidit, quod est apud scriptorem Graecum, se ex Asia redeuntem Delphis oraculum de se con-

suluisse. Ac si consuluit, Pythiae non praebuit aures admonenti, ut ne de se hominum existimationem, sed suam ipsius naturam ducem sequeretur. Neque enim Romae vixit in otio umbratili litteris abditus, sed complures causas in foro egit atque in rebus publicis versatus est, si quidem uno anno post reditum quaesturam consequi potuit. Quaestorem autem esse renuntiatum, nos docet Plutarchus, cum civitas annonae caritate laboraret; e Cicerone apparet, eo anno fuisse inopiam rei frumentariae, quo ipse magistratum gereret. Cum enim esset quaestor, magnum numerum frumenti e Sicilia Romam mittere potuit (*pro Plancio,* § 63, *in Verrem,* III, § 216). At in scriptis Tullianis, quae quidem exstent, non reperimus, quod est apud Plutarchum, Ciceronem nobiles adulescentes apud praetorem Siciliae defendisse, qui bello nescio quo molliter se gessissent. Tum etiam Plutarchus suggerit rem sane lepidam, quae Ciceroni e provincia decedenti evenerit, ipsumque Tullium profert testimonium, quasi ostendere voluerit, ex eo narratiunculam sumptam esse. Sed, quam reperimus in oratione pro Plancio, historiola iucundior est, neque in omnibus congruit cum iis quae in vita exponuntur 1). Quare suspicari malim, scriptorem Graecum ex alio fonte rem hausisse. Neque est cogitandum, Plutarchum multo ante quam de Tullio hunc librum scriberet, Plancianam legisse, et post ea quae parum fideliter memoria teneret litteris consignasse. Namque, ut infra demonstrabimus, non desunt indicia, ex quibus efficitur, eum illa oratione numquam usum esse.

C. Verres, cum Siciliam provinciam per triennium (ab anno 681 ad annum 683) pro praetore obtinuisset, atque avare crudeliterque vexavisset, repetundarum a Siculis est postulatus. Horum patrocinium suscepit Tullius tribus post annis quam in urbem rediit, maximamque laudem sibi peperit. Mirum est, quam breviter, quam inepte de hac causa exposuerit Plutarchus. Cicero, inquit, reum prostravit non tam oratione, quam, ut ita dicam, non dicendo. Cum enim praetores Verri faverent iudiciumque multis dilationibus et moris ad ultimum diem traherent, quoniam manifestum erat, diei tempus non satis futurum orationibus di-

1) Cfr. *pro Plancio,* § 65.

cendis, neque iudicium perfici posse, surgens dixit, verbis non opus esse, verum, interrogatis testibus, iudices suffragia ferre iussit. Hanc narrationem ex orationibus Verrinis fluxisse, nemo contendet. Aliis praetermissis, duo animadvertere libet: non uno die, ut hinc colligi videtur, iudicium Verris confectum esse; neque praetorem, qui iudicio praeerat, M'. Acilium Glabrionem, Verri favisse, sed praetores designatos, qui insequenti anno magistratum inire debebant. Tum erant Nonae Sextiles: et Cicero, cum videret, Hortensium id agere, ut a M'. Glabrione praetore et ab iis iudicibus, qui tunc erant, propterea quod ludi prope tres menses auferebant, res integra ad insequentem annum differretur, quo consules Q. Hortensius et Metellus reum suo patrocinio tueri indicioque eripere possent, longa oratione omissa, testes ad unumquodque crimen citavit, eosque Hortensio interrogandos dedit, totamque accusationem expedivit, et reum fregit, qui, desperato patrocinio, in exilium sua sponte abiit. Cum haec perspicue exponantur capitibus decimo et undecimo actionis primae in Verrem, a Plutarcho putandum est rerum scriptorem non satis diligenter adhibitum esse, vel eius verba haud recte esse intellecta 1).

Damnato Verre, inquit, cum litem Cicero aestimasset septingentis et quinquaginta millibus drachmarum, calumniam passus est, quasi pecunia accepta multam minuisset. Non attinet de re disputare; tantum animadverto, non e libris Tullianis haec esse petita. Nam septingenta quinquaginta millia drachmarum, quae aequant nostrorum nummum sexcenta nonaginta millia (L. 690000), longe absunt ab illa pecunia, quam solvere Verres ex lege debebat. Abstulit, Cicerone teste (*in Verrem*, I, § 27), quadringenties centena millia sestertium (L. 8000000) 2): sed

1) De contentione quam Cicero habuerit cum. Q. Caecilio Nigro, uter Verrem accusare deberet, non fit diserta mentio; iocus tamen Ciceroni tribuitur, qui dixerit; Quid est rei Iudaeo cum Verre? Unde Plutarchus acceperit, Q. Caecilium Nigrum Iudaeorum religioni esse addictum, non est facile videre. Nihil de hac re in orationibus Verrinis reperimus: iocum autem e nomine Verre ductum esse arbitror.

2) Non constat sibi ipsi Cicero, cum in divinatione § 19 dicat, se ex Verre repetere millies centena millia. Ad quae verba adnotat Zumptius, ut ego arbitror,

damnatos repetundarum poena duplionis vulgo passim et maior aliquando manebat. Admonet autem vetus interpres in Div. 5: « Quamvis sestertium octingenties dupli nomine exigi usus est; sestertium tamen quadringenties repetitum est: ad gratiamne Hortensii, an coniventia Ciceronis ipsius, parum comperimus ».

Quae Cicero gessit post aedilitatem usque ad consulatum, omnia uno capite narrantur. Ac mirum est, nullam mentionem reperiri de causis Fonteii, Caecinae, Oppii, Cluentii, Fundanii, quae id temporis dictae sunt, neque uno verbo tangi orationem nobilissimam tum habitam pro lege C. Manilii, ut Cn. Pompeio bellum Mithridaticum committeretur. Hinc iure colligere possumus, harum orationum volumina omnino esse neglecta. Et cum tam magna silentio praetereat, eodem capite alia commemorat, quae sintne ad veritatam exposita, addubitare licet. A Cicerone praetore C. Licinium Macrum oratorem rerumque scriptorem, Calvi oratoris patrem, repetundarum accusatum esse; atque hunc sua potentia fretum et amicorum studio, antequam iudices sententias ferrent, domum abisse puramque togam induisse, perinde atque absolutus esset; postea edoctum a M. Crasso, fautore suo, se cunctis suffragiis esse damnatum, mortem sibi conscivisse. Discrepat a Plutarcho Valerius Maximus, qui (XX, 12, 7) tradit, Ciceronem non damnavisse, sed certae damnationis admonuisse Macrum, atque hunc poenam morte praecucurrisse. Quam Valerii rationem verisimiliorem duxerim, quippe qua nex Licinii commodius explicetur, quod ille ab inopia rei familiaris et crimine domesticae damnationis suos liberare voluerit. Quamquam ipse Cicero cum Plutarcho facere videtur, cum haec scripserit ad Atticum: « Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus: cui cum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi

rectissime: « Videtur hoc eo pertinere, quod lex Servilia duplum, Cornelia quadruplum a damnato exigi iussit, ut *millies* minus sit, quam quod Cicero ex lege postulare potuerit. Nam quod dicere possis, Ciceronem tum, cum hanc orationem haberet, nondum accurate de litis summa constituere potuisse: edidit haud dubie orationem postquam habuit ». (*Verrinarum libri septem;* recensuit et explicavit C. T. Zumptius, I, p. 16).

existimationis illo damnato cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus ». (I, 4, 2). Sed utitur verbo *transigere*, ut significet, aliquod consilium se nactum esse ad rem expediendam. Diserte autem fatetur, illum damnatum esse, cum Valerius neget quidquam pronuntiatum esse. Verum damnationem, de qua loquitur Cicero, ad rem ipsam referri suspicor, cum nemo dubitaverit, quin Macer reus damnandus esset, non ad sententiam, quam iudices pronuntiaverint. Quoquo modo res se habuit, putandum est, narrationem Plutarchianam, satis fusam et perspicuam, non ab illis, quae supra attulimus, verbis Tullianis fluxisse, ubi res vix tangitur, et de nece Macri omnino siletur.

Nihil habeo quod dicam de verbis dicacibus, quae Vatinio Cicero responderit nescio quid ab eo petenti: ἀλλ' ἐγὼ οὐκ ἔχω τηλικοῦτον τράχηλον. Sed obiter moneo, duplicem iocum, qui inesse debuit verbis Tullianis, vix agnosci in Plutarcho. Iudicium autem Manilianum non adducor ut credam, quemadmodum vult scriptor Graecus, actum esse eo anno, quo Cicero praeturam gereret. Neque est dubium, quin hic defenderit Manilium, quod cum ex Asconio et Nonio tum e Q. Cicerone 1) patet: sed in praetura legem Maniliam suasit de imperio Cn. Pompeii; quo tempore ipse Manilius, cum esset tribunus plebis, neque accusari neque defendi poterat, sui muneris sanctitate tectus. Nec vero intellego, quo pacto Manilius, qui nullum magistratum antea gessisset, reus factus sit repetundarum. Quare coniecerim, a Plutarcho confusam esse legem Manilii cum eiusdem causa, quam est verisimile post annum tribunatus actam esse.

Kalendis Ianuariis anni 691, quo Cicero consulatum iniit, civitas erat plena sollicitudinis ac timoris, maxime ob legem agrariam, quam extremo mense superioris anni P. Servilius Rullus promulgaverat, ut decemviri crearentur, quibus summa permitteretur potestas in agrorum venditione atque emptione coloniarumque deductione. In Rullum Cicero consul invectus est tribus orationibus, quarum primam habuit in senatu Kalendis ipsis, alteram et ter-

1) Ascon. p. 57 Kiessling. Non. p. 434 M. Q Cicer. *de petitione consulatus*, § 51. Suspicor causam Manilii actam esse a. 689.

tiam in concione ad populum. Plutarchus de lege agraria pauca tradit, neque ita, ut facile agnoscaris, eum ante oculos habuisse orationes Tullianas. Legis enim auctores facit cunctos tribunos, non P. Rullum, qui solus illam vere tulit; nec omnino in lege declaranda cum Cicerone consentit, quia, praeter alia, decemviris facultatem tribuit quaestionis habendae de omnibus, de quibus libeat, atque in exilium mittendi, et scribendi alendique exercitus; neque aperit, quibus causis consul legem Rulli reprehenderit atque abiecerit. Cicero nunquam dixit, quod scriptum est apud Plutarchum, C. Antonium Rullo favisse. Pactio autem provinciarum, qua Antonium Cicero sibi devinxit, facta est post Rullum superatum, non eo tempore quod a scriptore Graeco indicatur, neque hoc consilio, ut a Rullo illum alienaret (c. 12). Nihil statuere possumus, unde narrationem mutuatus sit de tumultu propter legem theatralem Roscii (quae lata fuerat a. 687) excitato et a Cicerone consule luculenta oratione sedato (c. 13). Intercidit enim haec oratio, quae cum aliis consularibus edita fuerat (*ad Att.* II, 1, Plin. *H. N.*, VII, 30); neque unquam hac de re in scriptis, quae supersunt, Cicero facit mentionem.

Catilinae coniuratio exponitur tredecim capitibus (10-22) fusius quidem et accuratius quam reliqua facta Ciceronis. Sed orationes Catilinariae, quae apud veteres tantis laudibus extollebantur haud facilem materiam suppeditabant, cum in iis consilia, acta, eventus, non continuata serie explicarentur, ut alia ex aliis et omnia inter se apta connexaque viderentur, sed ex luminibus floribusque dicendi ea, quae ad rem facerent, non nisi magno studio ac labore excerpere oporteret. Quapropter scriptor Graecus orationes illas videtur neglexisse. Reperimus enim apud eum nonnulla, quae desunt in Catilinariis; et quae his orationibus traduntur, non omnia in vita scripta videmus. Neque vero est suspicandum, Plutarchum orationes adhibuisse et narrationem suam explevisse, aliis subsidiis adiutum; namque, ubi easdem res narrat, quae dicuntur in Catilinariis, ab eis saepe discrepat.

Numquam enim Cicero diserte declarat, Catilinam filiam vitiasse, eundemque, cum fratrem interfecisset, Sullam exoravisse, ut ille in proscriptorum numerum referretur. Dicit tamen generatim (I, § 13):

« Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? Quae libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? » Et alio loco (§ 14): « Nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? Quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur ». De nocturno coniuratorum conventu in M. Laecae domum, de quo tam multa sunt in Catil. I, 8 et seq. (etiam apud Sall. *Cat.* 27), nihil habet Plutarchus. Cicero autem tacet, Sullanos milites, qui per Etruriae urbes essent dispersi, duce Manlio, consularium comitiorum die Romam venisse, ut Catilinae inceptis armis faverent; tantummodo gloriatur, se nefarios conatus amicorum praesidio et copiis compressisse, nullo tumultu publice concitato (I, § 11). Neque usquam significat, se in senatum vocasse Catilinam, ut ei occasionem purgandi praeberet, quemadmodum vult Plutarchus (c. 14), sed frequenti senatu se eum excitasse atque iussisse de his rebus si quid vellet, quae ad se allatae essent, dicere. Atque ille non se purgavit, sed indicavit atque induit 1). Cum etiam dixit, duo corpora esse rei publicae, unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite; huic, si ita de se meritum esset, caput se vivo non defuturum 2). Hoc dictum Plutarchus quoque commemorat (c. 14), sed in eo discrepat, quod corpori rei publicae, quod esset debile, caput esse ait, non infirmum caput. Dictum autem, ut est apud Graecum scriptorem, maiorem audaciam prodit. Ita enim ad verbum Latine reddi potest: « Quid mali facio, si cum sint duo corpora, alterum gracile et tabescens sed capite praeditum, alterum sine capite at validum et magnum, huic caput ego impono?

Prqsagia, quibus dii mala rei publicae imminentia nuntiarunt, vix tangit Plutarchus, quamquam mirabilia curiose consectari solet, cum tam multa sint in Catil. III, 18 et seq. et plura in poemate de consulatu, cuius nonnulli versus proferuntur de div. I, § 17 et seq. De epistulis sine nomine scriptis atque in M. Crassi

1) Sunt verba Ciceronis, *pro Murena*, § 51. *Induit* hoc loco=*irretivit.*

2) Ibidem.

domum allatis non fit mentio in Catilinariis neque in aliis operibus Tullianis, quae quidem exstent; rem Plutarchus (c. 15) hausit e libro, quem Cicero de suo consulatu Graece composuit. Diserte enim hic liber laudatur in vita Crassi c. 13, ubi eadem traduntur. Vix autem est credibile, quod subicit, epistulis recitatis in senatu, tum primum detectam esse coniurationem et senatus consultum factum, viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Quid enim argumenti afferre poterant epistulae auctorum nomine carentes? Quae si tanti momenti erant, cur eas nunquam Cicero in Catilinariis respexit? Nonne multis certisque indiciis Catilinae sociorumque consilia erant explorata? Ceterum constat inter omnes, senatus consultum, quo summa potestas delata est consulibus, factum esse non post acceptum nuntium de militibus in Etruriam a Manlio congregatis, ut vult Plutarchus, sed ubi primum Cicero de coniuratione edoctus in senatu rem aperuit (octodecim diebus ante diem VI Idus Novembres). Ait enim in prima Catilin. § 3: « Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules desumus ». Quae autem narrantur capite sextodecimo, ea sine dubio non manant ex orationibus Tullianis. Namque in his non reperimus, Catilinam esse profectum ad exercitum Manlianum ante quam senatus haberetur in templo Iovis Statoris, ubi pronuntiata est prima oratio in Catilinam praesentem (ante diem VI Id. Nov.). Neque illud iter est admodum verisimile; namque non sine periculo fuisset neque ullam habuisset opportunitatem. At, Catilinam misisse qui sub speciem salutandi trucidarent consulem, testatur ipse Cicero; qui tamen non addit, de his insidiis per Fulviam se factum esse certiorem, sed quadam suspicione ductum, illos insidiatores venturos, multis ac summis viris praedixisse 1). Qui autem isti fuerint, silentio praetermittit in Catilinariis; unum, C. Cornelium, nominat in oratione *pro Sulla,* § 52: Plutarchus indicat Marcium et Cethegum 2); et val-

1) *In Catil.* I, § 10. Cum Plutarcho consentiunt Sallustius c. 28 et Appianus, B. C. II, 3.

2) Sallustius fuisse tradit (c. 28) C. Cornelium et L. Vargunteium.

de errat, haud dubie. Nam Q. Marcius Rex non erat inter coniuratos; immo vero Faesulas a senatu missus est, ut praesidio esset rei publicae 1); alter non fuit Cethegus, sed C. Cornelius, qui vivebat postquam Cethegus mortuus erat (*pro Sulla*, § 18). In senatu a. d. VI Id. Nov. Catilinam orsum esse loqui, non colligitur ex orationibus Tullianis; nec ea, quae Plutarchus tradit Ciceronem dixisse, ad verbum reperiuntur in prima Catilinaria: 'Ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξε αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι, δεῖν γὰρ αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δὲ ὅπλοις πολιτευομένου, μέσον εἶναι τὸ τεῖχος. Tullius (I, § 10): egredere aliquando, inquit.... magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Neque e Cicerone cognoscimus, Catilinam, fascibus lictoribusque sumptis, cum trecentis armatis urbem reliquisse, ut est apud Plutarchum, sed, ex urbe parum comitatum exisse. Utinam, inquit, ille omnes suas copias duxisset (II, § 4).

De Surae cognomine vanum commentum profert Plutarchus (c. 17), quod non potuit reperire in scriptis Tullianis 2). Non discrepat a Cicerone narrans, epistulas a Lentulo esse datas Allobrogum legatis, atque hos a praetoribus in ponte Mulvio deprehensos et dimicationem ortam; verum non habet nomina praetorum, quae sunt in Catilinaria III, § 4, et ait, omnes epistulas traditas esse Volturcio, cum huic datae sint litterae ad Catilinam, legatis autem litterae ad Allobroges. Confirmat, quod tradit Sallustius (c. 41), per Q. Fabium Sangam consulem comperisse, legatos Allobrogum in coniurationem pellectos esse; de qua re nos celavit Cicero. Quae autem acta decretaque sint in senatu, ut coniurati convincerentur, fusius in Cat. III, § 8 et seq. exponuntur, Plutarchus paucis absolvit; suggerit tamen, quod non est in orationibus, consulem, litteris recitatis, potestatem patribus fecisse aperiendi quae quisque de eadem re rescisset. Non intellego, cur senatorum indiciis opus fuerit, cum tot argumenta in promptu essent, coniuratique ipsi facinus se commisisse non abnuerent. Praeterea scriptor Graecus nos docet, Lentulum scripsisse Catilinae, ut Romam contenderet, servis liberatis; verum haec non dicunt litterae, quas in

1) Sall. 30.

2) Confer adnotationem Bartonis ad hunc locum: p. 398 ed. Wittenbach.

senatu consul recitavit (*Catil.* III, § 13). Neque vero, quod meminerim, Tullius tradit, se, dimisso senatu, domum cuiusdam necessarii petisse, cum domi suae mysteria Bonae deae celebrarentur. Haec sacra quotannis in domo consulis celebrari et peragi sacrificia tantum ab uxore et a matre consulis, praesentibus Vestalibus, non adducimur ut credamus, si quidem Clodius deprehensus est ea nocte, qua illa mysteria celebrabantur, in domo Caesaris tum non consulatum sed praeturam gerentis. Ac de prodigio, quod tum viderit Terentia sacrificans 1), consentit cum Plutarcho Dio Cassius (XXXVII, 35), sed ne verbum quidem apud Tullium reperimus; Servius mentionem inicit ad Verg. Eclog. VIII, 106 2), laudatque Ciceronis poema de consulatu, sed, cum ad annum referat, qui consulatum praecesserit, dubitare licet, num rem ex ipso poemate Plutarchus sumpserit. Postremam autem partem capitis undevicesimi nullo pacto existimare possumus ductam esse ex orationibus Ciceronis, quod in illa significatur, plerisque Ciceronem parum animosum videri. Nec sententias, quas patres dixerint in senatu Nonis Decembribus de puniendis coniuratis, fluxisse arbitror ex quarta Catilinaria, cum eae non multum accurate exponantur. Etenim C. Caesar non censuit, ut vult Plutarchus, coniuratos per municipia custodiendos esse, quoad Catilina debellaretur, sed in perpetuam custodiam tradendos; neque consul modo Silani modo Caesaris opinioni adstipulatus est, verum oratione commendavit sententiam atrociorem. Supplicium autem coniuratorum et casus eventusque rerum, quae subsecutae sunt, Cicero obiter tangit non uno loco; Plutarchus, qui multo uberius eadem exponit, rerum scriptoribus usus est, nisi quis forte mavult coniicere eius in manibus fuisse commentarium de consulatu a Tullio Graece conscriptum. Sed in turpi versatur errore, cum dicat, duos tribunos plebis, Metellum Nepotem et Bestiam, Caesaremque praetorem interdixisse, ne con-

1) Cap. 20: « ara, cum iam sopitus esse ignis videretur, ex cinere et crematis corticibus flammam copiosam splendidamque edidit ».

2) « Cum (uxor Ciceronis) post peractum sacrificium cum libare vellet in cinerem, ea ipso cinere flamma surrexit, quae flamma consulem futurum eius maritum, sicut Cicero in suo testatur poemate ».

sul de more ad populum verba faceret. Nam Caesar, tum praetor designatus, nondum ante Kal. Ian. magistratum inierat, et Bestia, qui tribunatum gessit Cicerone consule Sall. *Cat.* 44), Nonis Decembribus iam magistratum deposuerat: ab uno Metello Nepote consul dicere vetitus est.

Non est cur multa dicamus de nonnullis Ciceronis iudiciis, quae profert Plutarchus (c. 24), ut sint documento, illum, quamvis vanitate laboraret, aliorum laudibus non invidisse. Nam verba, quibus utitur, πολλὰ δ' αὐτοῦ ἀπομνημονεύουσιν, satis ostendere mihi videntur, non in libris Tullianis, sed in quadam collectione memorabilium ea legisse 1). Ceterum obiter monemus, iudicium de Aristotele reperiri *Acad.* II, § 109; de Platone, *Brut.* § 127; iudicium de Demosthene in epistulis quae supersunt non reperiri, sed exstitisse testatur Quintilianus (X, 1, 24, XII, 1, 22). Perierunt autem Tullii epistulae ad Herodem et ad Marcum filium, quarum apud Plutarchum fit mentio.

Tribus capitibus (25-27) Ciceronis facetiae continentur. Hic fuit homo dicacissimus et crebro salse dictis suum sermonem adspersisse omnesque ad risum captandum insectatus esse perhibetur, ita ut dicacitate multos adversarios sibi compararet. Cur potius hoc loco illa dicta proferantur, non assequor. Sed non dubito quin non ex libris Tullianis excerpta sint, verum ex aliqua iocorum facetiarumque collectione permanarint. Accepimus, Tironem, Tullii libertum, tres libros de iocis Ciceronis edidisse, minus tamen iudicii in eligendis dictis quam studii in congerendis adhibuisse 2). Quos quidem libros certissimum habeo, Plutarchum, etsi nusquam diserte laudaverit, vidisse et in suum usum convertisse.

Ex iocis transit (c. 28) ad simultatem, quae Ciceroni cum Clodio intercessit. Cuius originem ut explicet, de sacris narrat a Clodio in domo Caesaris pollutis. Hanc rem non uno loco Cicero prodidit memoriae 3); sunt tamen quae impediant, ne putemus ex eo

1) Fateor vero paulo ante haec scripsisse ὡς ἐκ τῶν συγγραμμάτων λαβεῖν ἐστι.

2) Quintilian. VI, 3, 5. Hic tamen et Macrobius (*Saturn.* II, 1) aliquam habent dubitationem, fueritne Tiro editor librorum de iocis Ciceronis.

3) *Ad Att.* I, 12 et 13; *de haruspicum responsis*, § 37. Nusquam tamen rem admodum fuse persecutus est.

Plutarchum narrationem suam derivasse. Primum enim non indicat, quae sacra violata sint; deinde accusationem Clodii ipsi Caesari tribuit, qui tantum abest, ut illum accusaverit, ut ne testimonium quidem dicere voluerit, qua de causa suspicati sunt viri docti, verbis contextus, quem vocant, inesse mendum; tum confirmat, Clodium antea Tullii amicum fuisse eique operam in coniuratione opprimenda praebuisse, cum Cicero Clodio exprobret necessitudinem cum Catilina (*de har. resp.* § 3, *pro Mil.* § 14 et 21); denique Ciceronis testimonium in causa Clodiana non tam veritatis studio dictum esse existimat, quam ut apud Terentiam uxorem ille se purgaret. Terentiam enim fuisse Clodio infensissimam propter Clodiam eius sororem, quam sibi posse auferre maritum suspicaretur. Scilicet tam gravem inimicitiam, quae tam funesta peperit eventa, suscepit Cicero, ut imperanti uxori morem gereret! De qua re longe aliter, ut par est, ipse loquitur in orationibus. De prov. cons. § 24: « Cur eadem respublica, quae me in amicos inflammare potuit, inimicos placare non possit? Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod periculosum patriae civem fore putabam, qui turpissima libidine incensus duas res sanctissimas, religionem et pudicitiam, uno scelere violasset? » Quid quod Lucullus ancillas ad quaestionem praebuerit, quae Clodium cum sorore natu minima, eiusdem Luculli uxore, rem habuisse dicerent? Nonne puduit Lucullum in vulgus proferre quae sibi maximo dedecori essent? Hanc rem unde hauserit Plutarchus, non est facile explorare. Absolutum esse Clodium, pecunia corruptis iudicibus, aperte testatur Cicero 1); scriptor vitae timide ait, fuisse qui dicerent, iudices pecuniae largitione corruptos esse. Commemorat autem nonnulla salse dicta, quae Clodius iecerit in Ciceronem, huiusque responsa; non tamen omnia, quae sunt in epist. ad Att. I, 16; neque docet, altercationem illam factam esse in senatu.

Cum multis locis Cicero exponit ea quae ad suum exilium pertinent, tum maxime in oratione pro P. Sestio; quam qui legerit res illorum temporum quasi effictas ob oculos habebit. At Plu-

1) *Ad Att.* I, 16. Seneca, *Epist.* 97, elegans dicterium profert, quo Q. Catulus iudices corruptos reprehenderit.

tarchus eam videtur neglexisse, numquam suspicatus, orationes afferre maximum adiumentum ad res gestas summi oratoris accurate cognoscendas. Quod si perlegisset, tam multa silentio non praeterisset, neque in tot errores lapsus esset. Ut nonnulla afferamus exempla, primum illud animadvertemus, nihil ab eo tradi de via, qua Clodius ad tribunatum plebis pervenerit. Porro Caesaris consilia ita exponuntur, ut vix intellegantur atque explicentur. Perhibetur enim Cicero, cum inimicus esset Crassi atque fastidiretur a Pompeio, precibus adisse Caesarem, quamvis non amicum, ut legatum in Galliam se duceret. Annuisse Caesarem; at Clodium, veritum, ne Cicero ex suo tribunatu effugeret, simulasse se velle cum eo in gratiam redire, itaque effecisse, ut ille, metu liberatus, legationem, quam petivisset, recusaret. Qua re Caesarem iratum non modo a Cicerone Pompeium omnino abalienavisse viresque Clodio addidisse, verum etiam apud populum testatum esse, videri sibi contra leges Lentulum, Cethegum, alios coniuratos esse necatos. Igitur, si Plutarchum audimus, Caesar parva offensione permotus est, ut perniciem pararet Ciceroni! Mittamus quaerere, quod non attinet ad hanc disquisitionem, sintne haec ad veritatem dicta; illud confirmare libet, non fluxisse e libris Tullianis. Nam Cicero aperte declarat, Caesarem sibi legationem obtulisse 1). Tum etiam Plutarchus asseverat, M. Tullium, auxilium a Cn. Pompeio petere coactum, primo misisse ad eum ruri degentem Pisonem generum; deinde ipsum ivisse; at illum, ubi cognoverit eius adventum, per aliud ostium elapsum esse. Contradicit Cicero, cum scripserit ad Atticum (X, 4), tum se vidisse Pompeium, sed ab eo non esse sublevatum ad pedes iacentem, ac responsum retulisse sane frigidum atque ineptum.

1) *Ad Att.* II, 18: « A Caesare valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus ». De prov. cons. § 42: « Traduxit ad plebem inimicum meum, sive iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse coniungi, sive exoratus. Ne haec quidem fuit iniuria. Nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit. Ne id quidem accepi, non quo alienum mea dignitate arbitrarer, sed quod tantum reip. sceleris impendere a consulibus proximis non suspicabar ».

De A. Gabinio et L. Pisone consulibus quis ignorat, quam saepe Cicero acerrime questus sit, ut Clodii fautoribus, a quo povinciarum pactione corrupti essent? Ex verbis Plutarchi non apparet, quid illi gesserint, vel potius, quid passi sint facere Clodium. Quam ieiuna et manca est narratio rerum illius anni memorabilis! Plurima praetermitti, quae necesse fuit cognoscere, mirum est, praesertim cum tam uberem materiam orationes Tullianae praebuerint. Cum scribat, L. Pisonem humanius locutum esse (πραότερον διελέχθη) et M. Tullio suasisse, ut cederet tempori, ex hoc iure colligas, eum fugisse, quam acerbe vehementerque Tullius in Pisonem invectus esset. Delatum esse e Ciceronis domo in Capitolium signum Minervae, non in orationibus reperimus, verum in libris de legibus (II, § 42), ubi etiam indicatur causa, quae deest in Plutarcho, cur delatum sit (*Minervam custodem urbis ab impiis violari passi non sumus*). Sed non deest quod timiditatem prodat, Ciceronem ex urbe circa mediam noctem exeuntem ab amicis comites accepisse, qui eius vitam tuerentur. Ait, lege Clodia statutum esse, ne quis tecto Ciceronem reciperet intra quingenta millia passuum, cum ex epistula quarta libri tertii ad Atticum constet, lege illa ita cautum esse, ut ultra quadringenta millia ei liceret esse. Vibonem, quod oppidum erat Brutiorum, Plutarchus assignat Lucaniae; nominat Vibium, hominem Siculum, qui exuli locum in agro obtulerit; Cicero contra scribit, se non habuisse locum, ubi pro suo iure diutius manere posset, quam in fundo Sicae (*ad Att.* III, 2). C. Vergilium, praetorem Siciliae, exulem accipere noluisse, patet ex oratione pro Plancio (§ 95): sed scriptor Graecus, qui eandem rem narrat, non videtur ante oculos illam habuisse. Nam, cum alia multa tacitus praeteriit, quae solum ex ea oratione cognoscimus, tum ipsius Planci ne nomen quidem commemoravit, qui tanta benignitate ac liberalitate exulem exceperat atque sex menses apud se Thessalonicae retinuerat. Dolorem vero maestitiamque, qua exul affectus sit, non omittit verbis illustrare, ut appareat, summum virum non ea, qua deceret, fortitudine adversas res pertulisse. Narrat etiam (c. 32), apud Dyrrhachium cum e navi in terram ille egressurus esset, terrae motum marisque convulsionem exstitisse. Cuius prodigii nullam apud Ciceronem fieri

mentionem, aliquid habet admirationis. Quis eam rem melius potuit cognoscere? quis libentius tradere?

Res a Clodio Romae gestas anno 695, quas tam fuse distincteque multis locis Cicero persequitur, ut nihil amplius desideres, easdem Plutarchus confuse et permixte exponit, neque habet quicquam quod e Tullianis scriptis ductum esse videatur. Ait, Clodium, aedibus villisque Ciceronis incensis, reliquis bonis sub hasta venditis, aggredi coepisse Cn. Pompeium 1), nonnulla ab eo in bello gesta laceravisse; quare illum poenituisse, quod Ciceronem in exilium eiici passus esset; neque tamen definit, quibus Clodius criminationibus usus sit. Cn. Pompeium autem, amicorum opera adiutum, Ciceronis reditum machinatum esse, sed Clodium tribunum pro suo iure intercessisse; tum etiam senatus consultum factum esse, ne de qua re ageretur, nisi prius consules de exule reducendo retulissent. Quid vero decreverit frequens senatus Kalendis Iuniis, referente L. Ninnio, tribuno plebis, praetermittit, neque verbum addit de Q. Ciceronis reditu, cui ad urbem ex provincia venienti tota civitas obvia cum lacrimis gemituque processit (*pro Sestio*, § 68). Sed aliquid est, cui parumper animum intendere oportet. Cum narret pugnam in foro commissam inter Clodianos et fautores Ciceronis, sane breviter atque ieiune, ita ut nemo suspicari queat, narrationem sumptam esse ex oratione Sestiana, ubi tam multa videmus, sunt haec: τῆς στάσεως πρόσω βαδιζούσης, ὥστε τρωθῆναι μὲν ἐν ἀγορᾷ δημάρχους, Κόϊντον δὲ τὸν Κικέρωνος ἀδελφὸν ἐν τοῖς νεκροῖς, ὡς τεθνηκότα κείμενον διαλαθεῖν κτλ. Quae cum scripserit Plutarchus, videtur Carolo Graucio 2), acerrimi ingenii viro, ob oculos habuisse haec verba orationis pro Sestio: « pulsus e rostris, in comitio iacuit, seque servorum et libertorum corporibus obtexit vitamque tum suam noctis et fugae praesidio . . . defendit »; errasse tamen, cum vocabulum *corporibus* νεκροῖς interpretatus sit. Sed non est exploratissimum, locum scriptoris Graeci ex oratione Sestiana manasse.

1) Pro Milone, § 18: « Deprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat; extorta est confitenti sica de manibus ». Cfr. *pro Sestio* §§ 69 et 83.

2) V. Plutarque, *Vie de Cicéron* etc. par C. Graux; ad cap. 33.

Nam unum est verbum *corporibus*, quod aliquam cognationem habeat cum vocabulo νεκροῖς; reliqua non plane conspirant. Plutarchus, si hausisset e Sestiana, non tacuisset, opinor, Quintum e rostris pulsum esse; neque addere omisisset, cadavera servorum libertorumque fuisse. Quid vero pro certo confirmaverit, perperam Plutarchum vocem *corporibus* intellexisse? Nisi fallor, non eadem volunt duo scriptores: sed Cicero, Quintum fratrem tectum esse a servis libertisque, qui suis corporibus ei praesidio essent; Plutarchus, Quintum vulneratum in terram cecidisse, alios super eum saucios et mortuos corruisse; eum idcirco mortem effugisse, quod nemo vivum esse suspicaretur. Verum, non esse adhibitam Sestianam, vel e ratione liquet, qua res gestae anno 697 ac Ciceronis reditus exponuntur. Laudatur enim Milo, qui primus Clodio vim inferre diemque dicere ausus sit; P. Sestius, ex quo nomen accipit oratio, numquam commemoratur, quamquam non minus quam Milo exuli favit. Ac decreta de reditu Ciceronis tantum generatim leviterque significantur; frustra quaeras singula et quo quodque ordine factum sit. Ubi autem legit, Pompeium, pulso Clodio, in forum progressum, ad suffragia cives vocavisse? 1) Plutarchus auctor est, Ciceronem redisse decimo sexto mense postquam profectus erat, cum constet, post exactos septemdecim menses Romam venisse 2). Ei revertenti M. Crassum obviam ivisse, numquam in Cicerone memini me legere: quae res erat eiusmodi, ut nulla alia magnus exul libentius gloriatus esset. At enim quae verba tribuit Ciceroni, αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν, eadem invenimus in oratione post reditum in senatu: *cum me Italia cuncta paene suis humeris reportarit.* Erant verba, ut opinor, in sermone omnium crebro usurpata: repetunt personatus Sallustius in Ciceronem et Macrobius, Saturn. II, 3. Tabulas legum Clodiarum, quae in Capitolio custodiebantur, se deturbasse atque dissipavisse, numquam, quod meminerim, fatetur Cicero; qua re nihil erat quod magis eius miti ingenio repugnaret. De summa conten-

1) Numquam hoc significavit Cicero.

2) Ex urbe cessit extremo mense Martio a. 696; rediit insequenti anno pridie Non. Sep. Cfr. Ferratius, *Epistularum* etc., p. 211.

tione post reditum facta de domo Ciceronis, quam Clodius Libertati consecraverat, nulla mentio infertur; immo senatus decretum, ut illius villae atque domus publicis sumptibus instaurarentur, factum esse perhibetur ante quam Tullius Romam rediret! Sed haec hactenus, quae ad exilium reditumque spectant.

Clodii cum Milone contentiones, quae tamdiu civitatem Romanam conturbaverunt, ne leviter quidem tanguntur; tantummodo earum exitus, ut ita dicam, significatur his verbis: Κλώδιον ἀποκτίνυσι Μίλων (c. 35). Tullii oratione pro Milone, quae tanta fama floruit apud veteres, non videtur usus esse; namque nihil fere habet quod in oratione reperiatur, ac nonnulla tradit, quae in illa desiderantur. Ne uno quidem verbo attingit turbas rixasque, quae Clodii necem consecutae sunt; ait dumtaxat (c. 35): Μίλων διωκόμενος φόνου Κικέρωνα παρεστήσατο συνήγορον; atque subicit, senatum veritum, ne viro claro et acri reo civitatis quies turbaretur, permisisse Pompeio, ut huic ceterisque iudiciis praeesset praesidiumque haberet ad urbis et iudiciorum tranquillitatem. Quae quidem nemo non videt, quam parum accurate dicta sint. Neque indicat, quod munus delatum sit Pompeio. Quod tradit, Milonem Ciceroni persuasisse, ut lectica ad iudicium veheretur, metuentem, ne conspectus armatorum eum perturbaret, id non video in scriptis Tullianis, nec, quod sciam, in alio vetere scriptore. Hinc occasionem captat, ut edoceat, quod et ipse Tullius confitetur 1), summum oratorem commoveri et perhorrescere incipientem dicere, quamquam paulo post non infitiatur, in hac perturbatione animi Ciceronem magis studiosum amicorum quam timidum iudicandum esse. De his rebus disputans enuntiat, quod est sane mirum, ne dicam absurdum, Ciceronem in causa oranda Licinii Murenae, cum totam noctem vigilasset, nimiis curis ac trepidatione sibi se ipso deteriorem visum esse. Quae quidem in operibus Tullianis reperire non potuit. Ceterum convenit inter omnes, pro Murena, quam legimus, orationem urbanitatis, salis, suavitatis, leporis specimen esse nobilissimum 2),

1) *Pro Cluent.* 18: « Semper magno cum metu incipio dicere. Quotiescunque dico, toties in iudicium videor venire ». Cfr. *in Caec.* 13.

2) De huius orationis artificio praeclara sunt verba Quintiliani, XI, 1, 68.

Cicero autem, si Plutarcho credimus, quamquam lectica vectus, vix pro Milone dicere ingressus est, toto corpore tremente et voce summissa atque interrupta; ex Asconio hoc solum accepimus, illum non ea, qua solitus esset, constantia dixisse. Sed tantum causam Milonis Plutarchus commemorat hoc temporis spatio, quod est inter reditum et proconsulatum Ciliciae; quippe illius narrationem invenerat apud rerum scriptores, quos manibus terebat. Alias, quas Tullius tum egit, multas numero, rebus gravissimas 1), silentio praeterit. Itaque, si Plutarchum ducem sequamur, quid per sex fere annos Cicero dixerit atque scripserit, prorsus ignoremus. Nemo igitur me temeritate notabit, si volumina harum Tullii orationum a scriptore Graeco explicata esse negabo.

Brevissima mentione iniecta de auguratu, quem Cicero assecutus est in locum M. Crassi iunioris anno 701, transit ad Ciliciae administrationem (c. 36). Nos celat, cur tam sero ei provincia tradita sit, et cui successerit: verum ostendit, qua iustitia, qua comitate, qua diligentia illam rexerit, ita ut maximis laudibus ad caelum ab omnibus efferretur. Ac fateor, nonnullis locis quandam esse similitudinem cum iis quae reperiuntur in epistula secunda libri VI ad Atticum. Sed sunt, si recte contuli, admodum pauca nec plane similia; praeterea habet Plutarchus quae in epistula desunt, et multa sane digna quae cognoscantur omittit, quaedam haud scite immutat 2). Tradit, nonnullos a Cicerone deprehensos

1) Habuit orationes de rege Alexandrino, pro Sestio, in Vatinium, pro Bestia, de provinciis consularibus, pro Caelio, pro Balbo, in Pisonem, pro M. Crasso, pro Scauro, pro Plancio etc.

2) « Laodiceae ad Kal. Mai. omnium dioecesium, inquit Cicero, praeter Ciliciae, mirabilia quaedam effecimus: ita multae civitates omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt; omnes suis legibus et iudiciis usae, αὐτονομίαν adeptae, revixerunt. His ego duobus generibus facultatem ad se aere alienae liberandas aut levandas dedi; uno, quod nullus in imperio meo sumptus factus est (nullum cum dico, non loquor ὑπερβολικῶς), nullus, inquam, ne teruncius quidem. Hac autem re incredibile est, quantum civitates emerserint. Accessit altera. Mira sunt in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant etc. Aditus autem ad me minime provinciales.

esse, qui publicam pecuniam in Cilicia avertissent, sed tacet, fuisse illos natione Graecos. Vix autem aliquis explicabit, cur bella in Cilicia suscepta, de quibus copiose exponitur in epistulis 18, 19, 20 et 21 libri V ad Atticum, brevissime attingat, et cur initio capitis 37 dicatur, id quod non videmus in epistulis, senatum decrevisse triumphum Ciceroni 1), atque hunc respondisse, sibi fore iucundius, compositis discordiis civilibus, currum sequi Caesaris triumphantis 2). Quibus causis intellegere possumus, non ipsum Plutarchum epistulas evolvisse, sed aliquo scriptore usum esse, qui multa ex illis excerpsisset. Apud quem puto legisse quae Cicero M. Caelio respondisset ad quosdam ludos pantheras expetenti. Respondisse ait, non esse in Cilicia pantheras, sed omnes in Cariam migrasse, quod aegre ferrent, pacatis omnibus, se unos bello infestari. Non plane conspirant cum Graecis verba Ciceronis, quae sunt haec: « De pantheris per eos qui venari solent agitur mandatu meo diligenter; sed mira paucitas est, et eas quae sunt valde aiunt queri, quod nihil cuique insidiarum in mea provincia, nisi sibi, fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostrà provincia decedere. Sed tamen sedulo fit etc. ». In extrema autem capitis parte haec scripta videmus: εἰς τὴν πόλιν ἐπανῆλθεν, ἤδη τῶν πραγμάτων ὥσπερ ὑπὸ φλεγμονῆς ἀφισταμένων περὶ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον; in Cicerone ad fam. XVI, 11: « Ego ad urbem accessi pridie Non. Ian.... Incidi in ipsam flammam civilis discordiae, sive potius belli ». Persuadere vult Graucius, Plutarchum ante oculos habuisse hunc locum Tullianum, sed vocem *flammam* per errorem interpretatum esse ὑπὸ φλεγμονῆς. Non assequor, cur hoc oporteat suspicari. Si Plutarchus interpretari voluisset vocabulum *flamma*, facilius dixisset φλέγμα. Longe alia mihi videtur fuisse mens scriptoris

Nihil per cubicularium. Ante lucem inambulabam domi ». Et Plutarchus ait, eius aedes nullo ianitore teneri, nec eum cubantem a quoquam conspectum esse, sed prima luce ante domum suam stantem aut obambulantem salutantes excepisse. Alia ponit, praemissa voce λέγεται, qua ostendit illa se non apud Ciceronem legisse.

1) Supplicationes decretae sunt pro rebus bene gestis in provincia (*ad fam.* II, 15).

2) Multa persuadent, non potuisse Ciceronem eiusmodi verba conscribere.

Graeci atque Latini. Hic enim bellum civile incendio comparat; ille exquisitius inflammationi, quae in suppurationem erumpat; quae sententia non est cum altera apta atque connexa. Quare verba Graeca sic Latine exprimere malim: « ad urbem contendit, iam rebus, velut ex inflammatione, in civile bellum erumpentibus ».

Quid bello civili Cicero senserit, quid sibi proposuerit, nihil est quod fidelius accuratiusque nos doceat quam epistulae, quas ad amicos, praesertim ad Atticum, scripsit. Ac Plutarchus epistulas pro testimonio profert, ita tamen res exponit, ut dubium relinquat, utrum ipse epistulas adhibuerit, an aliquem scriptorem, qui nonnulla ex illis exscripsisset. Auctorem pacis fuisse Ciceronem et frustra discordias sedare ac tollere conatum esse, satis constat 1); visum esse aliquando ad Caesarem accedere (ἔδοξε Καίσαρι προστίθεσθαι), propterea quod, Caesare adventante, non secutus esset Pompeium, id haud scio an nemo veterum scriptorum memoriae prodiderit, si Plutarchum excipias. Hic autem qui potuit ita scribere, si epistulas legit? Namque in epistula 22 lib. VII Tullius ostendit, se cogitare qua aut terra aut mari persequatur Pompeium. Addit Plutarchus, diu incertum fuisse Ciceronem, ad utrum se verteret, cum Pompeius gloriosam et honestam causam belli haberet, Caesari autem prudentius res gereret meliusque suae amicorumque saluti consuleret; qua de causa se habuisse, quem fugeret, non habuisse, ad quem confugeret. Haec postrema verba proxime accedunt ad illa quae scripta videmus in ep. septima libri VIII ad Atticum: « ego vero, quem fugiam, habeo, quem sequar, non habeo ». Sed in hac eadem epistula alia sunt, ex quibus patet, non ita ut vult Plutarchus Ciceronem haesitasse, utram causam amplecteretur, etsi videret, quam timide, quam ignave, quam imperite res gessisset Pompeius. « Quod tu meum laudas », inquit, « et memorandum dicis, malle, quod dixerim, me cum Pompeio vinci, quam cum istis vincere; ego vero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse videbatur; cum hoc vero, qui ante fugit, quam scit aut quem fugiat aut quo, qui nostra

1) Vide praesertim *pro Marcello*, § 14, *Philipp.* II, § 37.

tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui, contigit; victus sum ». Ceterum iam de provincia decedens in itinere Athenis ad Atticum scripserat, quid spectaret, quo intenderet; et qua fuerat sententia, in ea usque ad extremum perseveravit. « Nunc impendet », inquit, « ut et tu ostendis et ego video, summa inter eos contentio. Me autem uterque numerat suum, nisi forte simulat alter. Nam Pompeius non dubitat (vere enim iudicat), ea quae de republica nunc sentiat, mihi valde probari.... Verum quid agam? non quaero illa ultima (si enim castris res geretur, video cum altero vinci satius esse, quam cum altero vincere), sed illa quae tum agentur, cum venero, ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittat ». (*Ad Att.* VII, 1). Interdum labare visum est eius consilium, utrum ex Italia exire necne opus esset (*ad Att.* VIII, 14).

Epistula autem, quam Plutarchus tradit mandatu Caesaris ad Ciceronem Trebatium scripsisse, hortandi causa, ut faveret Caesari, vel saltem in urbem quandam Graeciae a bello vacuam se reciperet, non exstat cum aliis epistulis Trebatii in libro VII ad familiares. Sed profecto, quae Plutarchus subicit, Ciceronem, miratum, quod ipse Caesar nihil scripsisset, illi cum stomacho respondisse, ea omnino a fide abhorrent. Servantur enim etiam nunc litterae, quas Caesar ad Ciceronem dedit, ut eum a bello deterreret (*ad Att.* X, 8). Huc accedit, quod ex epist. prima lib. VII ad Att. patet, et a Pompeio et a Caesare eum epistulis sollicitatum esse. Rescripsit autem ad Caesarem, ut ad pacem eum hortaretur, atque suam epistulam pervulgatam esse testatur (*ad Att.* VIII, 9), idque se non moleste tulisse.

Neque est verisimile, quod in Plutarcho reperimus, Ciceronem, cum in castra Pompeiana advenisset, ab omnibus exceptum esse benigne, praeter quam ab uno Catone, atque adeo ab hoc privatim obiurgatum esse, quod bellum suscepisset et sine causa Caesari denuntiasset, cum praesertim maiori utilitati futurus fuisset civitati, si ab omni contentione remotus Romae mansisset. Haec neque apud Ciceronem neque apud alium veterem scriptorem, quod quidem sciam, reperiuntur. Neque e scriptis Tullianis sumi potuerunt lepide dicta, quae perhibentur, in Domitium, in Theophanem, in

Marcium, in Nonnium, in Labienum, sane acerbiora ac petulantiora quam virum consularem decebant; nonnulla satis inficeta: quae omnia ducta esse arbitramur ex libris, quos supra commemoravimus, de iocis Ciceronis. Est autem probabile, multa in illos libros irrepsisse summo oratori falso attributa. Nunquam M. Tullius scripsit (neque erat, cur tantam rem celaret Atticum, cui aperiebat omnia), se imperium belli detrectasse, quod post pugnam Pharsalicam sibi delatum esset auctore Catone, ob eamque causam paulum abfuisse, quin a Pompeio filio amicisque eius, proditionis incusatus, trucidaretur. Neque vero intellego, quo pacto imperium offerri potuerit Ciceroni, vivo adhuc Cn. Pompeio, de quo in dies nuntii exspectabantur 1). Tenendum est, proelium ad Pharsalum commissum esse a. d. V. Id. Sext., Pompeium iugulatum in Aegypto iussu Ptolemaei regis III Kal. Octobr. Cicero, postquam a Labieno certior factus est cladis acceptae, Dyrrhachii, qua in urbe morabatur, haud multo diutius mansit, atque Brundusium contendit; quo mense Octobri videtur pervenisse. Vix igitur crediderim, nuntium de Pompeii nece Dyrrhachium allatum esse antequam Cicero ex hac urbe proficisceretur. Brundusii autem considentem per undecim fere menses quantae sollicitudines molestiaeque eum vexarent, epistulae memoriae prodiderunt. Quapropter, si hoc tempus vitae Ciceronis sicco pede transit scriptor Graecus, certissimum argumentum est, eum epistulas Brundusio missas numquam inspexisse.

Collocutum esse Tullium cum Caesare ex Aegypto redeunte, scriptum tantum videmus apud Plutarchum; qui adicit, dedisse Caesarem illi hoc signum benevolentiae, quod respondens *Laudationi Catonis,* quam Cicero conscripserat, vitam orationemque magni scriptoris (λόγον καὶ βίον) laudaverit similemque praedicaverit Pericli et Therameni. Quid Ciceroni cum his commune fuerit, non

1) Rem tacet Dio Cassius (XLII, 10); tacet, quod maius est, etiam Appianus (B. C. II, 82), qui pugnam Pharsalicam fusius accuratiusque persecutus est, Asiniana referens, ut videtur. Hic autem tradit, non Dyrrhachii vel Corcyrae actum esse, quis reliquiis pompeianis praeesse deberet, sed in Africa, ibique imperium L. Scipioni, viro consulari, delatum.

plane intellego, praesertim cum Theramene, nisi Caesar tecte notare voluerit illius inconstantiam levitatemque, qua Theramenes male audisset. Res, quas Romae Caesare dictatore gessit Cicero, breviter perstringit Plutarchus. Paulo fusius commemorat Q. Ligarii defensionem, qua adeo Caesar commotus sit, ut reum dimitteret absolutum. Ac praeter morem nonnulla ponit de hac oratione, tamquam si eam adhibuerit. Sed id secus esse, non desunt quae persuadeant. Primum enim animadvertimus, usurpari verbum λέγεται, quod ostendere videtur, non ex ipso opere Tulliano sumpta esse quae proferantur; deinde describi, quam vehementer Caesaris animum pepulerit mentio proelii Pharsalici facta in extrema orationis parte, cum de hoc proelio pauca dicantur in orationis quae exstat principio. Verba autem quae Caesari tribuuntur: τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος; nescio quo pacto ille potuerit pronuntiare, siquidem duobus ante mensibus Tullius eidem gratias egit in senatu, quod reditum M. Marcelli permisisset.

Opera rhetorica, quae hoc tempore Cicero composuit, ne tangit quidem, dumtaxat loquitur, leviter tamen atque universe, de scriptis quae ad philosophiam pertinent, atque suggerit, quod quidem est inauditum, Ciceronem nobiles adulescentes philosophiam edocuisse. Equidem arbitror, per errorem indicatam esse philosophiam pro eloquentia; constat enim 1), in arte dicendi tum illum exercuisse Hirtium, Pansam, Dolabellam, quibus uti potuit, ut auctoritatem in re publica recuperaret. Laudi autem Ciceroni tribuit Plutarchus, quod doctrinas philosophorum Graecorum Latine dialogis expresserit et vocabula Graeca in Latinum sermonem converterit. Addit, quod non reperio in scriptis Tullianis, illum condidisse carmina animi causa, et, cum ad hanc rem operam daret, una nocte quingentos versus factitavisse. In Tusculano cum degeret, ad amicos scripsisse Laertae se vitam vivere. Sed in epistulis, quae quidem exstent, numquam Laertae mentio occurrit. Quid quod a praedio Tusculano tum refugiebat, quia frequentiam illam non facile ferre poterat? 2) Raro

1) *Ad fam.* IX, 16, Suet. *de Rhet.* 1, Senec. *Controv.* 1.

2) Ex Atinati in Tusculanum venit XI Kal. Iun.; discessit VI. Idus Iunias (cfr. *ad Att.* XV, 3 et 11). Iam scripserat (*ad Att.* XII, 40): « Si quis requirit, cur non

tum in urbem venisse a Plutarcho perhibetur, atque solum Caesaris colendi causa, primusque fuisse omnium, qui novos honores ei decernerent. Quae quidem, ut sunt, mea quidem sententia, remotissima a vero, sic non poterant e scriptis Tullianis derivari. Neque in his video quod Cicero dixerit de Caesare, qui Pompeii statuas deiectas erigi iussisset. Historiam cogitasse conscribere Ciceronem, etiam colligitur ex libro primo de legibus § 5: sed non est verisimile, ut persequi voluerit rationem secutus sane ineptam, quae est apud scriptorem Graecum, praesertim cum tam praeclara de scribenda historia praecepta tradiderit 1). Res autem domesticas Ciceronis, divortium cum Terentia, matrimonium cum Publilia, alterum divortium tam invidiose exponit Plutarchus, ut nemo existimare queat e scriptis Tullianis ea fluxisse.

Ad res cognoscendas, quas Cicero gesserit inde a Caesaris nece usque ad interitum consulum Hirtii et Pansae atque etiam ad triumviratum Octaviani, Antonii et Lepidi, tam magnum et firmum subsidium suppeditant orationes Philippicae atque epistulae, ut ex eis uberrimam atque certissimam narrationem contexere liceat. Sed qui reputaverit ea quae in vita narrantur, facile sibi persuadebit, scriptorem Graecum aliis fontibus usum esse, libros Tullianos neglexisse. Ac primum quidem monendum est, eum sibi ipsi repugnare, quod hoc loco dicit, Cicerone neminem iniquius tulisse Caesaris dominationem, neminem vehementius liberam rem publicam desiderasse, cum supra eundem Caesaris assentatorem praedicaverit. Coniurationis autem in Caesarem factae propterea ait non fuisse participem, quod coniurati cum eius ingenium natura timidum metuerent, tum aetatem provectam, qua etiam viri fortissimi animo deficerent. Interfecto Caesare, Antonium tradit primum dixisse de concordia in senatu. Verum Cicero diserte declarat (*Phil.* I, 1) se ipsum iecisse fundamenta pacis; hanc denique per Antonium et per liberos eius cum praestantissimis civibus esse confirmatam.

sim in iis meis praediolis, quae sunt huius temporis; quia frequentiam illam non facile ferrem ».

1) Cfr. praesertim *de orat.* II, § 36 et 62; etiam *Orat.* § 120.

Quid M. Antonius egerit diebus insequentibus 1), tacet Plutarchus; tantum narrat, terrori omnibus illum esse coepisse, maxime Ciceroni, quem in civitate potentem esse et amicum M. Bruti videret, quemque propter dissimilitudinem morum penitus odisset. Ciceronem autem, ut se periculis eriperet, cogitasse in Siriam Dolabellae legatum navigare. Sed, ut patet ex epistulis 2), numquam in Siriam legatum, verum in Graeciam se ire paravit, ne quae Romae fierent oculis cerneret, atque ut Marco filio Athenis discenti interveniret. Quamobrem ius liberae legationis petivit; quod ut adipisceretur, non modo ad Dolabellam, verum etiam ad Antonium scripsit, ne, si ad illum solum scripsisset, huius iracundiam permoveret 3). Nec Dolabella tum erat in Siriam profecturus, sed exeunte anno, postquam consulatum deposuerat. Dolabellae autem facta, quae ad caelum tollit Cicero 4), silentio omnino praeterit Plutarchus; haec alia narrat, quae apud illum frustra quaerimus: Hirtium et Pansam, consules designatos, ad Tullium venisse ac promisisse se Antonium oppressuros; Ciceronem tamen ea nec fidentem nec diffidentem audisse et sine Dolabella solvere constituisse. Ea autem mente addit discessisse (quod ipse Cicero confirmat), ut Kalendis Januariis adesset, quo die novi consules magistratum inituri essent. Sed mora iniecta navigationi — neque vero indicatur, quo loco et qua causa id evenerit —, cum nuntium accepisset — a quo non dicitur —, Antonium, mutata voluntate, agere coepisse omnia consilio senatus, seque ipsum magnopere desiderari, celeriter revertisse, et tanto cum gaudio exceptum esse, ut totus fere dies

1) Omnia coepit in re p. miscere, falsa proferens Caesaris chirographa: *ad Att.* XIV, 13, *Phil.* II, § 92 et seq.; Dio Cassius, XLIV, 53.

2) *Ad Att.* XIV, 7, XIV, 13, 16, 18. Sed aliquandiu haesitavit utrum proficisci an manere sibi conduceret. Multa enim veniebant in mentem in utramque partem. Caedis impendentis, inquit, periculum non nihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod rei p. defuerim tam gravi tempore. Sin autem mansero, fore me quidem video in discrimine; sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim rei publicae.

3) *Ad Att.* XIV, 11.

4) *Ad Att.* XIV, 15, 16, *Phil.* I, § 5.

dextris iungendis officiisque amicorum mutuo respondendo exactus sit 1). Postridie vero non venisse in senatum propter insidiarum metum, quas sibi structas esse ab Antonio in itinere comperisset. De his insidiis, ut de indiciis, quae acceperit, nihil narrat M. Tullius, qui dicit, propterea se non ivisse in senatum, quod ex via langueret 2). Antonium, tradit Plutarchus, irritatum, milites misisse, qui eum per vim adducerent, vel domum incenderent; postea senatorum precibus victum, pignoribus ab eo acceptis, quievisse. In Philippica I (§ 12) solum haec reperimus: « ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit ». Ex hoc quidem tempore, scribit Plutarchus, Ciceronem atque Antonium inter se inimicitias gessisse, et alterum ab altero cavisse insidias metuentem. Verum haec contentio tangitur generatim, nihil exponitur, quo explicetur atque illustretur: quare manifestum est, numquam a vitae scriptore lectas esse Philippicas, quae has res uberrime narrant. Sunt tamen quae maiorem sane admirationem moveant, probentque, nimia levitate ac festinatione hunc librum, de quo disputamus, compositum esse. Si Plutarchum audimus, Antonius simultates cum Cicerone exercuit ex quo die hic a senatu abfuit usque donec Apollonia advenit Octavius, ut Caesaris hereditatem adiret. At Ciceroni contumeliam illatam esse Kalendis Sept., ex oratione patet Philippica prima, quae habita est insequenti die, IV Non. Sept.; atque Octavius iam venerat Neapolim XIV Kal. Maias, ut colligitur ex epis. 10 lib. XIV ad Atticum! Vult Plutarchus, cum Antonio Octavium litem contraxisse propter Caesaris pecuniam, quam ille apud se detineret; pecuniam autem aestimat περὶ τῶν δισχιλίων πεντακοσίων μυριάδων. Quibus verbis si pecunia privata Caesaris significatur, quae domi custodiebatur, mirandum est, rem tanti momenti a Cicerone praetermissam esse; si pecunia ad publicum usum destinata, quae erat ad Opis, nota numeri non convenit cum iis quae a Cicerone indicantur. Phil. II § 93 « Ubi

1) Miror, huius rei nullam fieri mentionem a Cicerone, qui nihil solet praetermittere, quo sibi gloriam possit comparare.

2) *Philipp.* I, § 11. In hac oratione profectionis ac reversionis suae consilium exponit.

est septiens milliens, quod est in tabulis, quae sunt ad Opis? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen quae nos, si iis, quorum erat, non redderetur, a tributis posset vindicare. » Phil. V, § 11: « Illa dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est, per quam sestertium septiens milliens falsis perscriptionibus donationibusque avertit, ut portenti simile videatur tantam pecuniam populi Romani tam brevi tempore perire potuisse. » Quid dicam de pactione inter Ciceronem et Octavium confecta, qua Cicero suam eloquentiam auctoritatemque apud senatum et populum commodaverit, Octavius autem subsidium suorum militum promiserit? Haec pactio, cuius ne vestigium quidem in scriptis Tullianis videmus, plane commenticia habenda est, neque minus, ut arbitror, a veritate abhorret, quam somnium, quod paulo post exponitur, fictum sine dubio ab aliquo Augusti adulatore. Hoc somnium Suetonius (*Aug.* 95) et Dio Cassius (XLV, 2) tribuunt Q. Catulo. Praeterea in transitu animadvertemus, Plutarchum etiam ignorare, quibus parentibus genitus sit Octavius. Ait enim eius matrem fuisse Actiam sororem C. Caesaris, cum fuerit huius nepos ex sorore Julia.

Nec ea, quae capite 45 continentur, adduci possum ut putem originem traxisse ex operibus Ciceronis vel ipsius mentem animumque quodammodo expressisse. Namque perhibetur Cicero primum odio in Antonium, deinde ambitione impulsus esse, ut se cum Octavio coniungeret, cuius potentia se maiorem in re publica auctoritatem consecuturum arbitraretur. Cum Antonium ex urbe eiecisset, Hirtio et Pansa consulibus contra eum missis, effecisse, ut senatus Caesari Octaviano, qui pro patria bellum gereret, lictores honoresque praetorios decerneret. Post, superato Antonio, mortuis consulibus, pergit Plutarchus, senatum milites, quos ad Caesarem confluere vidisset, ad se avocare conatum esse, dictitantem se propugnatoribus non egere. Quare Caesarem indignatum a Cicerone impetravisse, ne se desereret, data fide, si cum eo consulatum adipisceretur, eius arbitrio se omnia administraturum. Itaque senem a callidissimo adulescente deceptum, voluntatem senatus ei conciliavisse; qua de causa tum acriter ab amicis obiurgatum esse, et paulo post patriae libertatem a se proditam sensisse. Contra, si libros Tul-

lianos pervolutamus, reperimus, Ciceronem primo, necessitate adstrictum, Octavium extulisse, ut eum opponeret Antonio; post consulum interitum, eius potentiam minuere studuisse, triumpho ei decernendo, ut, acto triumpho, legiones dimittere cogeretur; has interim senatum ad se traducere frustra conatum esse. Poenitueritne Ciceronem adiumenti quod Octaviano attulisset, divinare non licet, cum de hac re nulla fiat mentio in epistulis; sed non est absurdum suspicari, acerbissimo dolore eum affectum esse, simul atque rescierit, Octavium cum Antonio et Lepido societatem iuisse.

At enim in sequenti capite Bruti testimonium sumitur, qui in epistulis ad Atticum missis acriter Ciceronem reprehenderit, quod Antonii metu Octavium observaret atque extolleret, non quo patriae libertatem, sed ut sibi dominum amiciorem compararet. Haec fere omnia expressa videntur ex Bruti litteris, quas etiam nunc legimus (I,17): « Ista quae facit », inquit, « non dominationem, sed dominum Antonium timentis sunt. Ego autem gratiam non habeo, si quis, ne irato serviat, rem ipsam non deprecetur. . . . Nimium timemus mortem et exilium et paupertatem. Haec videntur Ciceroni ultima esse in malis: et dum habeat a quibus impetret quae velit, et a quibus colatur et laudetur, servitutem, honorificam modo, non aspernatur ». Tantummodo animadvertimus, non negari hoc loco Ciceronem etiam patriae caritate ductum esse; reliqua sunt simillima, ita ut admodum probabile videatur, ante oculos Plutarchi epistulam Brutinam obversatam esse. Sed permirum est, eundem neglexisse tot opera Tulliana, ex quibus tantam utilitatem percipere poterat, epistulas evolvisse quae iure suppositiciae habentur. Quocirca conicere ausim, illa legisse in aliquo libro rhetoricis pigmentis exarato, qui Ciceronem levem et timidum, Bruti animum firmum ferocemque exhibere voluerit. Cuius scriptionis auctor, cum admirabilia atque inania, quam vera consectari mallet, neglectis incorruptis rerum gestarum monumentis, fabellis, declamationibus, epistulis in rhetorum officinis confictis libenter usus est. Ceterum fieri potuit, ut ipsae epistulae in Plutarchi manus venirent, qui in vita M. Bruti epistulas adhibuit Graece conscriptas a quodam Mithridate rhetore, neque unquam est suspicatus, illas

fictas esse, quamvis rhetor ipse qui confinxisset rem aperte fateretur 1).

His de causis vere et iure statuere possumus, Plutarchum, cum hanc vitam componeret, non multum aut nihil omnino scriptis Latinis Ciceronis usum esse. Etenim neglexisse videtur opera quae spectant ad philosophiam; ex rhetoricis haud scio an solum Brutum viderit, ex epistulis, paucas; orationum vero si nonnullas evolvit, non inde tulit, quem poterat, fructum iis excerpendis quae cognoscere oporteret. Ac vidit quidem 2), sed festinanter legit, et quasi primoribus labris attigit, ut colligeret. quid de Cicerone oratore cum Demosthene comparato iudicandum esset, non ut illis, veluti incorruptis testibus, uteretur. Neque vero sum nescius, longe aliter sensisse nonnullos viros doctos, qui de Ciceronis vita vel de fontibus Plutarchi disputaverunt. Horum plerisque 3) probabile videtur, vitae Plutarchianae praecipuum fuisse fontem opera Tulliana. Quos quidem existimo potius praeiudicata opinione quam rerum ipsarum accurata consideratione ductos esse.

Sed tamen opus de consulatu a Cicerone Graece confectum

1) Vide, sis, quae disputavi in meo libro *de Bruti vita et studiis doctrinae*, p. 134 et seq.

2) In comparatione Demosthenis et Ciceronis, I, quaedam commemorat ex oratione pro M. Caelio petita, ad confirmandum, Ciceronem saepe seria in iocum vertisse suae utilitatis causa: non alienum esse, Caelium in tanta hominum magnificentia luxuque voluptatibus se dedisse; insani enim esse non uti iis quae sint concessa, praesertim cum maximi philosophi summum bonum in voluptate collocaverint. Haec profecto non valde discrepant ab iis quae reperimus in or. pro Caelio, § 40 et 41. Paulo post, cum mentionem iniciat orationis pro Murena dictumque Catonis afferat: quam ridiculum consulem habemus! praemittit verbum λέγεται.

3) Confer, praeter alios, Graucium in editione, quam supra commemoravimus, vitae Plutarchianae, p. 28 et seq. De hac re scripserunt, alius aliam viam secutus, Heeren, *de fontibus et auctoritate vit. paral. Plutarchi*, Gottingae, 1820, p. 185; H. Peter, *Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer*, Halle, 1865, p. 129 et seq.; Smit Sibinga, *Disputat. de Plutarchi in Ciceronis vita fontibus ac fide*, 1863; Lagus, *Plutarchus vitae Ciceronis scriptor*, Helsingf. 1848-49; Gudemann, *The sources of Plutarch's life of Cicero*, Philadelphia, 1902. Moleste tuli, quod Lagi, Sibingae, Gudemanni libellis uti mihi non licuit.

non dubito quin Plutarchus attente legerit atque adhibuerit in rebus anni 691 exponendis, quas, ut supra diximus, fusius accuratiusque quam ceteras persecutus est. Hoc commentarium scripsit Cicero ineunte anno 694, atque Idibus Martiis ad Atticum misit 1), quem rogavit, ut, si ei liber placeret, curaret, ut et Athenis esset et in ceteris oppidis Graeciae. Etiam Latinum perficere cogitabat; desiderabat autem, ut Posidonius de iisdem rebus ornatius explicatiusque scriberet. Sed ille, ὑπόμνημα cum legisset, negavit se id facere posse, a scribendo plane deterritus 2). Huius libri Plutarchus mentionem fecit in Crassi 3) atque iterum in Caesaris 4) vita; eundem autem in vita Ciceronis, etsi numquam commemoravit, potissimum secutus est; quippe in eo uberrime et Graeco sermone res expositas reperiebat, ita ut sine ullo labore in suum usum convertere posset. Atque inde, quae in vita narravit a capite decimo usque ad tertium et vicesimum, maximam partem sumpsisse videtur. Quamquam, cum sit opus omnino deperditum, firmis certisque argumentis caremus, quibus ad liquidum rem explorare possimus. Supra demonstravimus, Plutarchum in Catilinae coniuratione exponenda non habuisse ob oculos orationes Catilinarias; attamen narrationem dilucidam et satis accuratam ex fonte probatissimo manasse, perspicuum est. Sententiae et colores originem Tullianam prae se ferunt, atque omnia ita exponuntur, ut gratiam Ciceroni conciliare videantur. Ac nonnulla traduntur, quae in aliis scriptis Tullianis, non in Catilinariis, reperimus; et cum haud multum sit probabile, scriptorem Graecum undique excerpsisse quae sibi usui essent, sic statuere necesse est, ea in commentario de consulatu invenisse. Eiusmodi sunt, ne multa recenseam, quae in senatu Catilinam consuli respondisse narrat 5). Item alia, quae in nullo li-

1) *Ad Att.* I, 19.

2) *Ad Att.* II, 1.

3) Cap. 13: Ἐν τῷ περὶ Ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα τὰ περὶ τὸν Κατιλίναν ἐξηγουμένην, ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν.

4) Cap. 8: Τοῦτο μὲν οὖν οἶδα ὅπως ὁ Κικέρων, εἴπερ ἦν ἀληθές, ἐν τῷ περὶ τῆς Ὑπατείας οὐκ ἔγραψεν.

5) Cfr. *pro Murena*, § 51.

bro Tulliano sunt, sed aliquam fidem habere videntur, ex eodem commentario fluxisse existimamus. Ad quod genus adscribimus scelerum Catilinae enumerationem, eiusdem iusiurandum, omnia quae ad C. Antonium, nonnulla quae ad Lentulum et Cethegum pertinent, rationem qua incendium urbis paratum est, fortasse etiam indicia Silani et Pisonis, quae quidem gravissima Drumannus (V, p. 494) iudicabat. Ex eodem fonte Plutarchum hausisse suspicor sententias, quas dictas esse in senatu tradit de supplicio, quod in coniuratos esset constituendum. Errores autem, in quos inciderit, facile explicabimus, si coniecerimus, Ciceronem, qua erat prudentia, caute omnia, maxime suam sententiam, in commentario exposuisse, ut omnem invidiam nece coniuratorum conflatam a se removeret et in senatum transferret. Sed cavendum est, ne omnia, quae ad coniurationem spectent, ex hoc uno fonte ducta esse putemus. Neque enim desunt argumenta atque indicia, ex quibus apparet, alios fontes, etiam libros rerum memorabilium, ab eo adhibitos esse. At haec satis sit generatim significare: singula persequi supersedeo, cum ex iis quae supra dixi facile colligi possint 1).

Cum igitur Plutarchus pauca admodum scripta Latina Ciceronis evolverit eademque nec diligenter nec satis scite, non est mirandum, si hoc libro, de quo disputavimus, imaginem clarissimi viri non plane ad veritatem expressam videmus. Perhibetur enim fuisse Cicero multis exquisitisque litteris excultus dicendique peritissimus, sed gloriae nimis avidus, debilis, mutabilis, timidus, ad iocos facetiasque tam promptus, ut saepissime scurrilis iudicaretur. Itaque non aeque sapienterque vitia pensantur virtutibus, sed illa apertius planiusque animadvertuntur; atque adeo nonnullas, quibus enitebat, praeclaras virtutes aut vix aut nullo modo conspicere licet: quid rei publicae praestiterit ut optimus civis, quid amicis et clientibus ut patronus diligentissimus; quantum gloriae nominis Romani profuerit cum praeceptis de moribus officiisque

1) Cfr. Weizsacher, *Ciceros Hypomnema und Plutarchus*, Neue Iahrbücher, CXI, p. 417; Schmidt, *De Ciceronis commentario de consulatu a Plutarcho in vita Ciceronis expresso*, Lubecae 1885.

tradendis tum viis, quae ad veram eloquentiam ducerent, ostendendis; quam apte, quam suaviter, quam ornate ipse in foro et in curia dixerit, ut audientium animos permoveret; quam felici ubertate de rebus variis et dissimilibus disputaverit; quantopere communem libertatem dilexerit, quantoque studio ac prudentia foverit atque inculcaverit, ut, qua tempestate homines nihil aliud nisi de suis commodis et potentia cogitarent, unus vel cum paucis patriae prospicere videretur.

---

## CORRIGENDA.

Pag. 8, v. 13, ante *eodem* adde *in*.
» », v. 14, pro *A Cicerone praetore* lege *Apud Ciceronem praetorem*.
» 9, v. 27, post *quo* adde *die*.
» 10, v. 1, pro *concione* lege *contione*.
» 11, v. 19, pro *cum* lege *tum*; v. 29, lege *praesagia*.
» 15, v. 12, ante *Acad.* et *Brut.* adde *in*.